

Original(Papier), Mantua, Staatsarchiv, Gonzaga E II 3 (439). Ein kleines Ringsiegel unter Papierdeck zum Verschluss aufgedrückt.

Magnifici domini mei. Non miremini, si dominationi vestre cicius ego non scripsi, quoniam vere ego non potui. Nam heri tantum attigi Pragam dimisso domino imperatore ad montem Cutnis, ubi foditur argentum. Ipsum autem dominum imperatorem non fui sequutus nisi per Ungariam et duobus diebus solum per Moraviam, quia dominus cancellarius¹ eius sibi quesivit licenciam eundi ad episcopatum suum, et ego ivi cum ipso domino cancellario pro expediendo me ab ipso, ita quod tantum die Martis proxime preterita XVI. presentis mensis invenimus dominum imperatorem ad dictum montem, quo venerat tantum die precedenti².

Nova autem, que vobis scribere possum de partibus istis, sunt, quod dominus imperator revertendo de Ungaria³ ivit ad confinia Austrie ad quandam terram, que vocatur Lodum, que terra est filie sue^a, relicte olim ducis Austrie⁴, propter videre ipsam suam filiam et loqui cum ea. Interim dominus rex Ungarie⁵ venerat ad confinia regni sui, ut illuc irent duces Austrie⁶ ad colloquendum secum in quadam terra, que dicitur Prespurch, alio vero nomine Posonia; et cum ipse rex parasset iam solempne prandium pro honorando dictos duces, ipsi miserunt ei dicendo, quod nolebant ire ad ipsum; et sic ambe partes recesserunt non celebrato ullo colloquio. Intellexi etiam, quod dominus imperator vidisset libenter eos et ipsi libenter similiter venissent ad eum; sed consilium ipsorum puerorum non permisit eos venire ad dictum dominum imperatorem. Unde dominus archiepiscopus Pragensis⁷ et magister curie imperatoris⁸ iverunt Viennam pro sciendo intentionem illorum ducum super multis⁹. Iverant bene similiter illuc una alia vice, sed pro ducendo filiam do-

a) Folgt 'olim' gestrichen.

1) Johann von Neumarkt, seit 1364 Bischof von Olmütz. 2) Danach ist Karls Itinerar zu ergänzen: 1365 Dez. 15. Kuttenberg. 3) Wegen der ungarischen Reise vgl. Werunsky III, 331 ff. 4) Katharina, Witwe Rudolfs IV. von Oesterreich († 1365 Juli 27). 5) Ludwig d. Gr. 6) Albrecht III. (mit dem Zopfe) geb. 1349, und Leopold III., geb. 1351, Brüder Rudolfs. 7) Johannes Oeko. 8) Burchard von Magdeburg. 9) Vor allem natürlich in der Frage der Auflösung des Verhältnisses Albrechts III. mit Elisabeth von Ungarn.